

et moderatus. Ignis in lucerna vel cereo si non sedate ardeat, sed a vento agitetur, et cereum propere absumit, et parum lucis præbet. Similiter qui exactum vult aliquid efficere, sedere ad opus debet, non ambulare. Pari modo qui lingua concitata, et passionibus turbata profert sermonem, et in loquendo impinget, et facile alios offendet. Sedendo igitur loquere, non currendo, non ambulando. Secundo, non sit garrulus et vagus: quia hic indicat hominem stultum, qui omnia, quæ in buccam veniunt, mox effundit: ille vero sapientem, qui dicenda prius expendit, nec nisi cum ratione loquitur. Quod etiam viderunt philosophi gentiles, e quibus Solon unus dixit: *Nullus stultus tacere potest*: et Apollonius rogatus, qui essent hominum optimi, respondit: *Qui in dicendo sunt brevissimi*. E Christianis vero Alphonsus rex Aragonum homines variis sermonibus deditos, *utres distentos et vesicas vento turgidas* appellabat, Panormitanus, lib. IV. Quare sicuti cum stultis versari consultum non est: (repente enim et sine causa clava sua feriunt proximum quemque, etiam heros suos) ita et cum loquacibus. Propterea arbitror dixisse Ecclesiasticum, cap. IX. vers. XXV. *Terribile est in civitate sua homo linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit*. Quomodo terribilis, qui non nisi lingua amarus est? Qua nimirum lingua sua utitur velut stultus clava aut ligneo gladio suo, quo absque ratione ferit proximum quemque? Cum habeat linguam vagam et instabilem, perpetuo agitatam, nec rationi alligatam. Diximus alibi Theofredum Hispaniæ regem a stulto suo coriacea clava occisum: et alibi stultum Maximiliani I. imperatoris in eo jam molimine, quo ignem in pyrium pulverem injicere, et armarium totum cum Cæsare et seipso inflammare, cogitabat, deprehensum. Tales stulti sunt linguosi, proinde jure merito omnibus metuendi; nullum enim arcanum sciunt reticere, nullius vitium sibi perspectum occultare; omnia blaterant, et in aliorum aures effundunt; unde odia, inimicitia, contentiones, suspiciones innumerabiles oriuntur. Ex quo etiam sequitur alterum, quod adjecit Ecclesiasticus, ut sint *odibiles*, non solum ob ea, quæ diximus, damna et pericula, sed etiam ob ipsam inanem et ratione carentem loquacitatem. Lycon philosophus Peripateticus dicendi suavitate adeo excellens, ut pro *Lycon Glycon*, hoc est, suavis appellabatur, dicebat: *Sicut hirundines perpetuo garritu familiaritatis voluptatem perdunt: sic garrulos perpetuo obtundentes molestos esse auditoribus*. Unde proverbium ortum: *Hirundines tecto ne excipe*. Mare oderunt plurimi, sed maxime Ægyptii, teste Plutarcho, in symptom. et

Pierio, lib. XXXI. hierogl. quia non solum navigantes jactat, vexat, nausea et timore pene continuo replet, sed etiam vicinas terras salugine sua steriles reddit. Multo magis garuli odio habendi, quia inquieta sua lingua (Jacobi, III. *lingua inquietum mare*) non minus quam mare terram suis fluctibus, obruant aliorum aures, et sterili loquacitate implent; ut de illis etiam recte intelligi queat, quod supra ex Isaiâ diximus: *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti*. Denique, sicut qui mutum ambulat, sæpius cespitat, non qui sedet: ita qui multum loquitur, crebro offendit et mentitur, non qui tacet.

V. Lingua illa ignea sese dispertivit supra singulos, qui aderant, centum et viginti homines: *Apparuerunt enim illis dispertitæ linguæ*, ait S. Lucas. Dispertitæ, hoc est, distributæ per singulos, ita ut quilibet haberet suam linguam super caput suum. Tales etiam esse decet linguas Christianorum, qui se distribuant et impertiant aliis, maxime ignorantibus, ut instruantur ad salutem. Hoc est quod Salomon, Proverb. X. in justo commendat: *Vena vitæ os justi*, inquit, quasi dicat: Os justi solet esse fons aquæ vivæ dispertiens se undique et dividens hominibus ad eorum usum. Quemadmodum enim ex uno fonte ducitur una vena ad hortum, alia in atrium, alia in culinam, alia ad piscinam, etc. ut tota domus uno fonte quasi rigetur et recreetur: ita os Christiani boni et veri diffundere verba vitæ deberet per integram domum vel civitatem. Unde Hugo Carensis ita locum illum explicat: *Os justi est os prædicatoris vel doctoris, a quibus ad alios fluunt verba vitalia*. Illi quidem ex proprio suo officio ad hoc deputati sunt, Christianis autem cæteris, qui tali vitæ vena gaudent incumbit idem ex charitate. Certe Samaritana illa nullum a Christo mandatam accepit, ut traditam sibi veritatem suis civibus annuntiaret, nihilominus instigante charitate mox relicta hydria cucurrit ad civitatem, et quæ a Christo didicerat, publice prædicavit: *Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci; numquid ipse est Christus?* In quæ verba S. Chrysostomus ait: « Venerat hauriendæ aquæ gratia, et cum verum fontem invenisset, contempsit alterum, et superna veniente gratia apostolico munere fungitur. » Fons inclusus et a fluxu suo cohibitus, putredinem et fetorem contrahit, gignitque ranas et alias immunditias. Eadem de causa Isaias pollutum se esse conqueritur, ex eo quod non reprehenderit regem Oziam, conatum adolere incensum, cum sacerdos non esset, et alios delinquentes proceres: *Væ mihi quia tacui*, inquit, *quia vir pollutus labiis ego*

rum, Isaiæ, cap. VI. In quem locum S. Hieronymus, epist. XIV. ad Damasum: « Isaias, inquit, quantum ego arbitror, qui Oziam in templum irruentem nos corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera voce impium designarat, labia habebat immunda. » Scimus quam metuendam increpationem incurrerit servus ille piger, qui talentum sibi creditum, quo plura alia poterat lucrifacere, abscondit, Matthæi XXV. Lingua Dei talentum, et quidem pretiosum est nisi iram Dei incurrere velimus. Audiamus Sanctum Chrysostomum in eum locum, homilia LXXIX. in Matthæum: « Talenta, inquit, hic pro eo, quod unusquisque facere potest, accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrina admonere, sive alia quapiam re proximis prodesse queas. »

VI. Lingua illa, uti communiter sentiunt et indicat Cyrillus Hierosolymitanus, catech. super capita apostolorum aliorumque præsentium fidelium sedit: quo videtur insinuatam linguas fidelium non tam ex ore, quam cerebro et vertice capitis promere sua sensa debere: nec non de supernis potissimum et cælestibus rebus sermocinari. Tendunt anatomici linguam duas habere venas, quarum una tendit ad cor, altera ad cerebrum, quo natura utique nos docere voluit, non dumtaxat cor seu voluntatem et appetitum sensualem consulendum esse, cum quid ore proferendum est, sed etiam cerebrum seu rationem, quæ idipsum approbet, velut præses appetitus. Quo videtur etiam spectare quod ait Eccles. cap. XXXII. *Si bis interrogatus fueris, habent caput responsum tuum*, q. d. habeat rationem et cerebrum, quod in capite sedem habet. Ita nos Germani dicimus: Vide quid loquaris. Ad hæc qui verus Christianus est, de Deo de cælestibus potius gaudet instituere sermonem, quam de terrenis, de capite Ecclesiæ, Christo, quam de calceis et involucribus carnalibus. De sancto illo puero Samuele dicitur, 1. Reg. III. *Crevit autem Samuel, et Dominus cum eo: et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*, hoc est, non loquebatur de terrenis, sed et cælestibus, ut exponit Hugo cardin. Si enim Dominus erat cum eo, et ex abundantia cordis os loquitur (Luc. VI.) quid mirum si ipsius verba non in terram et terrena, sed in Deum et cælestia ceciderunt? Sic enim et apostoli, ubi repleti sunt Spiritu sancto, cæperunt loqui, quidnam vero? *Loquebantur magnalia Dei*, Act. II. Talia ergo qui loquuntur, ostendunt se habitaculum Spiritus sancti esse: uti e contra, qui de vanis solum et terrenis rebus sermocinantur, dæmonis hospitium esse. *Talis enim*, inquit, S. Augustinus, tract. II. in epist. Joannis, *est quisque, qualis ejus dilectio est. Ter-*

ram diligis, terra es; Deum diligis quid dicam? Deus eris. Nihil magis hominem distinguit a bellua, quam locutio: ita nihil magis discernit pium ab impio, quam locutio de Deo et rebus divinis. B. Bonaventura opus. de perfect. vitæ, cap. IV. ait: « Argumentum quasi infallibile est, ut si sit homo in Teutonia, et non loquatur Teutonice, videtur quod non sit Teutonicus. Sic qui est in mundo, et mundana non loquitur, evidenter demonstrat, se in mundo non esse; qui enim de terra est, de terra loquitur, Joan. III. » Concludo cum D. Laurentio Justiniano, de perfectione monast. convers. cap. XV. « Videmus, ait, agricultores, cum in unum coadunantur, repente et sine tædio de iis quæ agriculturæ sunt, sermocinari; artifices mechanicos de artificijs; mercenarios de mercimoniis suis; oratores de suis facultatibus confabulari. Et proh dolor! Soli Dei servi, quæ proprio congruunt flatui, audire vel loqui non curant, aut ignorant: » et statim: « Ut plurimum tacent propria et utilia, et de alienis proloquuntur negotijs. Cum vana audiunt, et scurrilia loquuntur, intenti sunt: cum vero spiritualia, cito fatigantur, et persæpe miserabiliter merguntur somno. » Quare videat unusquisque, et consideret linguam suam, an reformatione aliqua indigeat. Ita enim S. Hieronymus, in epist. ad principem, super illa verba, Ps. XLI. *Lingua mea, etc.* ait: *Dabo linguam meam quasi stylum et calamum præparare, ut per illam in corde et auribus audientium scribat Spiritus sanctus*. Qui bene reformavit calamum suum, reformavit totam scriptionem suam: et qui linguam emendavit, non sermones tantum, sed et omnem vitam emendavit. Ait enim S. Jacobus, cap. III. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam fræno circumducere totum corpus*. Qui clavum seu gubernaculum navis vertit, totam navim vertit. Quod est navi clavus, hoc est lingua homini, ut ibidem notat Jacobus. Reformate igitur linguam, et reformastis vitam.

CONCIO V.

PAX CHRISTI QUALIS SIT.

I. Pax Christi est pax sancta. — II. Est interna et pax cordis. — III. Est stabilis et constans etiam post offensam. — IV. Est pax universalis cum omnibus etiam inimicis et malis. — V. Est gratuita.

THEMA.

Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Joan. XIV.

Communis salutandi, et felicitatem apprecandi mos apud Hebræos fuit, pacem precari.

Verum quando strenuus ille dux Gedeon talem sibi ab angelo deferri salutationem audiit: *Pax tecum, ne timeas*, tanti hoc aestimavit donum, ut illico altare Domino erigeret, vocaretque illud *Domini pax*, q. d. non est hæc vulgaris et humana pacis apprecatio, sed divina. Opus igitur est eam, quanta possumus maxima veneratione excipere, et erecto altari celebrari, Judic. VI. Nihil et nobis frequentius, quam pacem exoptare, et alteri precari; interim tamen pacem sæpe non obtinemus. Ecce vero hoc? Quia vulgarem tantum et humanam quærimus, divinam, quæ est Domini pax, nec petimus, nec curamus. Hanc ergo pacem in hodierno evangelio nobis offert Dominus: *Pacem meam do vobis*, inquiens. Neque solum offert, sed etiam affert per Spiritum sanctum suum, quem hodie in mundum misit, ut veram et solidam pacem, quæ est Domini pax, in mundo sanciret atque stabiliret. Quam enim Dei Filius sua passione nobis comparavit, eam hodie Spiritus sanctus quasi dispensator thesaurorum Christi, in fideles dispertivit, eorumque impressit cordibus, ita ut in posterum summa semper pax, etiam mediis in tumultibus et persecutorum gladiis, fruerentur et gauderent. Hæc est illa: *Pax Dei, quæ*, apostolo ad Phil. IV. teste, *transuperat omnem sensum*: et de qua et Coloss. III. ait: *Pax Christi exultet in cordibus vestris*: et quam ad Galat. V. recenset inter fructus Spiritus sancti, quam et nunc qualis ea sit, explicabimus.

I. Pax Christi est pax sancta, tandem ad bonum, non ad malum. Ita explicat pacem Christi Euthymius: «Mundus sive mundana sapientes pacem mutuo dant mali causa, ego vero pacem do vobis boni causa.» Similiter Theophylactus in eundem textum: «Non talis est pax mea, qualis mundi, quæ sæpe in malo sit, et plane stulta est: sed talem ego do, ut et inter vos pacem habeatis, et unum corpus sitis.» Hanc Christi pacem attulit hodie Spiritus sanctus, et in cordibus apostolorum piurumque Christianorum firmiter implantavit, ut fierent cor unum et anima una, ad propagandam Christi fidem, et eradicandum idololatricam, debellanda vitia. Non est talis pax, quæ ad malum tendit, quam inspirat spiritus nequam suis mancipiis. Hujusmodi pacem inierunt structores turris Babel, stultam et vanam, cum dixerunt: *Venite, faciamus nobis turrem, cujus culmen pertingat ad cælum*. Sed quam ob causam? Eam mox addunt: *Et celebremus nomen nostrum, etc.* Ergo vanitas et superbia finis hujus unionis fuit, adeoque perversus. Addit S. Augustinus, lib. XVI. de civit. c. IV. Nemrod auctorem hujus structuræ eo col-

liemasse, ut hæc turris esset arx suæ tyrannidis et impietatis. Quæ quidem unio et pax si Deo placuisset et linguarum divisione disturbata non fuisset, Genes. IX. Hujusmodi pacem iniere inter se fratres Josephi, cum dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum*, Genes. XXXVII. Iniere Pharisæi et Sadducæi, quando conspirarunt ut caperent Jesum in sermone, sectis alioquin inter se divisi et discordes, Matth. XIX. rursum Pharisæi et Herodiani, Matth. XXII. necnon Pilatus et Herodes, qui prius inimici, quando agebatur de condemnando Christo, facti sunt amici, Luc. XXII. Cujusmodi etiam pax fieri solet inter hæreticos, sectis licet contrariis addictos, quando agitur de invadenda Christi Ecclesia, vel summo pontifice. Hujus pacis typum habemus in trecentis illis vulpibus, quas cepit et caudas colligavit Samson, injecto igne in caudas earum, ut Philistæorum segetes invaderent, et comburerent, Judic. XV. Qua de re S. Augustinus, in Ps. LXXX. ait: «Hæreticorum opinio diversa est, vanitas una est:» et mox: «Ergo in pejus isti consentiunt, quamvis dissentire a se invicem videantur. Ideo Samson caudas vulpium colligavit. Vulpes insidiosos, maximeque hæreticos significant, dolosos, fraudulentos, cavernosis anfractibus latentes et decipientes, odore etiam tetra putentes.» Ubi audimus non solum hæreticos, sed etiam alios insidiosos, qui ad malum patrandum uniuntur, per has vulpes notari. Qui sane ad ignem, quem in caudis gerunt, attendere deberent, ne postquam libidinem suam ad nocendum aliis explerunt, et ipsi eo igne ad extremum comburantur in gehenna, uti notat idem Augustinus, serm. CVII. de tempore: *Prima*, inquit, *habent magna et blanda, et deceptorum opera, posteriora ligata, id est, damnata, et in ignem in fine trahentia.*

II. Est pax interna et pax cordis, conscientiam pacificans et serenans: non externam solum, qualis est pax mundi. Ita explicat Christi pacem primo, S. Augustinus, cum in ea Domini verba scribens ait: «Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis:» et S. Ambrosius, in lib. de Jacob et vita beata, cap. VI. «Perfecta virtus, inquit, habet quietis tranquillitatem. Ideo Dominus donum ejus perfectionibus reservavit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*: perfectior enim est non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terroris concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placare. Hoc firmamentum christianis mentibus

Christus invexit, pacem internam invehens animis probatorum, ut non turbetur cor nostrum, neque animus exagitetur. Hanc pacem super omnem mentem, esse doctor apostolus asserit, dicens: *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem mentem, custodit corda vestra*: » et mox: «Pax autem imperatoris sollicita providentia, aut manu militum quæritur, aut bellorum prospero cedit eventu, aut intereptione aliqua barbarorum, si in se hostili motu arma convertunt, in ea pace nulla virtus nostra, sed eventus est. Certa gloria pacis illius ad imperatorem refertur, istius pacis fructus in nobis est, ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat, quam ea, quæ barbaricos sedat incursus: istius pacis major est fructus, quo spiritualis nequitiae tentamenta, quam quo arma hostilia repelluntur: plus enim est ostio clauso intra te hosti resistere, quam remoto.» Ita Ambrosius. Hæc est illa pax, quam in hodierno evangelio promisit Christus apostolis, quamque attulit resuscitatus, ita ut gaudio repleti non amplius ulla tristitia tangerentur: complete vero et copiose dedit hodie per missionem Spiritus sancti, ita ut in posterum non modo non turbarentur adversa patientes, sed etiam: *Irent gaudentes a conspectu concilii*, flagris ac verberibus inflicti, quod *digni habiti* essent *pro nomine Jesu contumeliam pati*. Quam pacem omnibus excellentiorem ita extollit S. Chrysostomus, in homil. de eo: Potestatis et pacis ejus non erit, tom. 1. «Quantum, inquit, pacem monstravit nobis, ut ipsam principalem hæreditatem daret nobis dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis!* Quam pacem potuit meliorem donare, quam ut carnem spiritui subjicere disceremus? Quam pacem potuit donare, nisi ut, qui eramus inimici Dei, et longe positi, per ipsum nos reconciliaret Patri? Quam pacem potuit dare, nisi ex populo Judæorum inimicorum et crucifixorum ejus applicaret fidei suæ, et gentes æque sociaret sibi, ut faceret utraque unum, et populum pacificaret inimicum sibi, et nobis gratiam donare confirmatis sibi?» Pax aut nihil juvat nos pax civilis et externa, si in propria domo pacem non habeamus, sed continua jurgia cum uxore litigiosa, vel immerigeris liberis, vel infidelibus domesticis, aut invidis vicinis; uti vicissim non curatur multum, si bella et jurgia foris sint, modo intra domum propriam pax sit et tranquillitas. Pari ratione si anima bene sit cum Deo et seipsa composita, pro nihilo aestimantur ea, quæ foris turbant et tumultuantur: e contra nihil juvat foris habere pacem, si in corde bellum sit. Nam: «Quamvis plurima pace et cura æterna fruamur, ait idem

Chrysostomus, homil. XXXIV. in Genes. *si intra nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus et seditio, nihil externa pax nobis poterit. Sic et neque miserabilius est aliquid civitate, quæ licet præsiidiis et muris bene sit munita, intus tamen cives foveat proditores.*» Optime inquit S. Hieronymus, in epist. ad Galat. V. «Non, inquit, putemus tantum in eo esse quærendam pacem, si cum alio non jurgemur, sed tunc pax Christi est, hoc est, hæreditas nostra nobiscum est, si tranquillam mens nullis passionibus perturbetur.»

III. Est pax stabilis, inconcussa, etiam post offensam. Ita explicat pacem Christi S. Augustinus, tractatu LXXVII. in Joan. et verba illa: «*Pacem meam do vobis. Hoc autem est, inquit, quod legimus apud prophetam: Pacem super pacem: pacem nobis relinquit iturus, pacem suam dat nobis in fine venturus: pacem nobis relinquit, in qua manentes hostem vincimus: pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus, etc.*» Hinc Dominus ad illa verba immediate subjicit: *Non turbetur cor vestrum*. Hujus pacis symbolum est olea, ut cui folia nunquam defluunt, sed hieme et æstate virent, jure igitur et apposite allata Noe a columba, designans stabilem mundo pacem deinceps a diluvio concedendam. Et talem accepere pacem hodie apostoli primique Christiani; qualis a Christo promissa, Joan. XVI. *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*. Accepit, inquam, una cum ipsis tota Ecclesia, Christi sponsa, quæ dixit Cant. VIII. *Ego murus, et ubera mea quasi turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, q. d. postquam a Domino electa sum in sponsam, pacem reperi inconcussam, velut murum aut turrem fortissimam, omnes minas et injurias spernentem, omnia adversariorum tela excutientem. Impugnatur quidem sponsa Ecclesia, foris ab hostibus, gentilibus et hæreticis, sed non expugnatur; ideo pace continua fruitur. In domum illam evangelicam, super petram extractam, inundatione facta illisum quidem est flumen, sed non commovit eam, multo minus stravit: ita Ecclesiam invadunt persecutores, sed non evertunt, nec solum non a loco, sed nec a quiete sua dimovent. Idem etiam accidit justis, pacem adamantibus, et vere etiam possidentibus. Infestantur interdum a jurgiis et contentionibus aliquorum hominum inquietorum; sed non ideo pacem perdunt; quinimo fugientem persequuntur, et ad se retrahunt velut servum fugitivum. Ideo enim dicitur Ps. XXXIII. *Inquire pacem et persequere eam*. Ubi S. Augustinus: «*Pacem ex parte hic habeamus, aut ex toto corde illic habere mereamur. Quid*

est ex parte? Concordes simus hic, diligamus proximum, quomodo nos, sed non possunt nisi existere rixæ aliquæ, quomodo inter fratres et sanctos extiterunt; sed non quæ occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem; nam et tibi ipsi resistis aliquando, et tamen non te odisti, rixam ergo tecum habes, sed ista rixa ad concordiam tendit.» Non perdidit pacem Abraham, quando cessit Lotho et pastoribus ejus jurgia cientibus, sed fugituram pacem potius retraxit, quando pacis tenendæ causa cessit juniore, et ab eo divertit, Genes. XII. Idem dico de aliis justis pace fruentibus. Non hæc pax impiis, qui tamdiu pacem dant, quamdiu non offenduntur; imo sæpe nec tamdiu, cum etiam non offensi sæpe pacem turbent.

IV. Est pax universalis non cum uno dumtaxat aut altero; sed cum omnibus, etiam inimicis, si fieri potest, et malis. Ita explicat Christi sententiam Eusebius Emissenus, in eum locum, cum hæc subjicit: «Mundus enim non dat pacem nisi his, a quibus accipit pacem. Sed quid dicit apostolus? Si fieri potest quod ex vobis est, omnibus hominibus pacem habentes, etc. et psalmista: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis: et talem quidem pacem dedit Jesus discipulis suis dicens: Diligite inimicos vestros, etc. Hanc autem pacem debemus habere cum malis, non ut eis malitia consentiamus, sed ut ab iniquitate eos ad justitiæ viam trahamus.» Sic ille. Quo etiam tendere videtur expositio Augustini supra citati, cum ait: *Delectet sic tenere istam pacem, ubi adversarium concorditer vincamus; ut desideremus pacem, ubi adversarium non habebimus.* Desinet enim adversarius esse, si cum eo pacem inierimus. Hoc est quod apostolus ad Roman. scribens, cap. XII. nobis commendat: *Si fieri potest inquit, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Id quod ante evangelium præstitit David imprimis, dum in aula Saulis sibi infensissimi ita versabatur, ut nemini offensionem præberet; deinde dum exulabat inter gentiles; de his enim (uti sensit Beda) Ps. CXIX. dixit: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Post evangelium vero dixerunt omnes Christiani, et præstiterunt plurimis, imprimis apostoli in hodierno die, quando pacem obtulere et dedere iis, qui ipsorum magistrum et patrem amantissimum paulo ante occiderant, adeoque eos in fratres dilectissimos receperunt. Deinde, eorum posteris, præsertim qui in trecentis primis annis inter gentiles et tyrannos sicut oves inter lupos commorati, e quibus S. Ignatius martyr, qui ex itinere ad Romanos scribit se custodiri: *A decem leopardis, hoc est, militibus, quibus cum benefeceris, pejores fiunt.* Et quid mi-

rum hoc præstare sibi mutuo servos, quod præstitit servis Dominus? Nonne is cum Juda, pacis inimico, vixit pacifice? Quando enim ipsum, etiam male agentem, aspere objurgavit? In cœna ad Bethaniam indignanti et murmuranti ob effusum unguentum, quid respondit? Videte fratres, ait S. Augustinus, in capite XII. Joannis: non ille ait: Propter furta tua dicis ista, furem noverat, et perdere nolebat, sed potius tolerabat et ad perferendos malos in Ecclesia nobis patientiæ exemplum demonstrabat. Dixit ergo ei Jesus: Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud,» Joan. XII. Pari cautela et modestia versatus est inter Scribas et Phariseos sibi inimicos, cedendo eorum furori, ne calamum quassatum confringeret: necnon iterum cum Juda, quando ejus osculum suscepit, illud Davidicum complens: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus,* inquit venerab. Beda in eum locum.

V. Est gratuita, non mercenaria, qualis est pax mundi. Quo sensu etiam dixisse Dominum: Pacem meam do vobis, indicat Augustinus, loco citato: «Homines, inquit, propterea dant sibi pacem, ut sine molestia litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo, mundo perfruantur: et quando justis dant pacem, ut non eos persequantur, pax non potest esse vera, ubi non est vera concordia, quia disjuncta sunt corda, etc.» Pax hæc tamdiu conceditur, quamdiu commoda ab altero percipiuntur: iis subtractis, vertitur in bellum. Sic lupi ad Mæotidem paludem cum piscatoribus studiose versantur: qui si maritimæ prædæ partem fuerint assecuti, et pacem habent, et tamquam fœdere eis devinciuntur: si nihil accipiant, eorum retia lacerant et distrahunt, damnumque inferunt, Ælian. I. VI. animal. c. XXXV. Sic muscæ Leucadæ, sanguine tauri, qui iisdem feriri solet, saturatæ recedunt, alioquin incolas vexant: sic Teneti monedulas placentis mitigant, ne seminibus noceant: idem I. VIII. et XVII. Non ita pax Christi, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi et membrorum ejus, ut ad salutem perducantur: quo modo apostolus, II. Cor. XIII. dixit: *Non ero gravis vobis; non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Apostolum secutus Gregorius VII. pontifex, pacis amantissimus, cum dissidium, quod inter ipsum et Henricum IV. imp. erat, concordibus votis dirimeretur, et pacis condiciones præponerentur, dicebat: *Pacis condiciones non despexero, modo Henricus (qui multis cladibus Ecclesiam afflixerat) cum Deo primum pacem inerat,* Platina in vita. Sane tria illa milia Judæorum, qui hodie, et alii, qui postea apostolis dexteris dedere, nulla alia lucra aut temporalia commoda quæservare, adeo ut suis etiam bonis

divenditis, in paupertate more religiosorum vivere cœperint, indeque summa animorum conjunctione convixerint: *Meum enim et tuum omnia dissensionis causa est.*

Præclarum igitur, ut vidimus, est hoc donum, pax, inquam, Christi, ab ipso nobis promissa, et hodie nobis per Spiritum s. copioso transmissa, quam proinde nos jure meritissimo cordi nostro firmissime decet imprimere, ne eam

amittamus. Sane cœna hoc tantum bonum sibi optatum. ut grato mente reciperet, et memoriæ suæ insculperet erexit illico altare Domino, ut audivimus. Igitur et nos hoc donum, ut grato animo accipiamus, et nobis conservemus, erigamus etiam altare seu monumentum illius in corde nostro, et hujus pacis memores semper illi studeamus et dicamus: *Domine pax.*